

virginem, in quo fatis acerbum illud Elogium funebre *Rufini* inimici in *Sicilia* defuncti: *Scorpius* inter *Exceladum* et *Porphyrum* *Trinacriae* humo premitur. Restituit feliciter hoc loco *Vallarsus* et *Maffei* *Porphyrionem* pro *Porphyrio* T. V. Opp. *Hieronymi* col. 3. At mox initio *Expositionis* relictum a *Martianaeo* in *signe σφαλμα* non sustulere: a *duodecimo* anno *Josae* Regis *Juda*. Repono e Codice nostro: a *duodevicesimo*, consentientibus IV. Reg. c. 22. v. 3. et II. *Paralip.* c. 34. v. 8. et *hebraica* veritate. Ceterum nec iste suis mendis caret, et quamvis clausula *miniata* dicat: *Explicit liber sancti Hieronimi presbiteri In ezechielem prophetam*, a verbis tamen: *et multa diuinarum scripturarum sacramenta testantur, et necesse est* — — extrema defunt. Ceterum *Περίοδος* Prophetæ per decursum literis majusculis descriptæ sunt.

CCC.

R. 3264 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 189. f. maj. per duas columnas luculente et pulcre scriptus, minioque distinctus ad D. *Hieronymum* pertinet, et exhibet I. ejus *Explanationem in Danielem Prophetam*, cujus *praefatio* hic iis verbis terminatur: *sicut iuxta LXX^a interpretes in titulo eiusdem belis fabule ponitur*. Dein Rubrum: *Explicit prologus. Incipit expositio Sancti Hieronimi presbiteri super danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit.*

ut eo facilius secreta illius legentibus panderentur quo commatico sermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorsus est. Vides Librarium interrupisse Praefationem deceptum iis, quae sequuntur: Homo quidam erat sacerdos nomine daniel &c. quibus utique continuatur Praefatio usque ad verba: aliarum gentium literis contineri, Propheta non ita exordiente, sed sic: Anno tertio regni Joakim &c. Commaticum Sermonem ἀπο τῆ κομματος incifum intellige, quod Textus prophetici particulae explanationem interstinguunt. Ceterum omnia integra, ut edit. Vallars. T. V. col. 617.

II. fol. 36. p. 2. *Incipit prologus sancti Hieronimi presbiteri in Osee prophetam. Nempe: Si in Explanationibus omnium prophetarum &c. Sequitur ipsa Explanatio rite in III. Libros distincta, sed Praefationes L. II. et III. ab ipso Commentario non distinguuntur. In edit. Vallars. T. VI. col. 1.*

III. fol. 91. p. 2. *Incipit prologus Sancti Hieronimi presbiteri in Abdiam prophetam. Ita: Cum essem paruulus &c. sequente Explanatione. T. cit. col. 359.*

IV. fol. 100. *Incipit prologus in Micheam prophetam. Ita: Micheas in quem nunc &c. Mira hic confusio. Post verba: liberis a parentibus imponuntur, quae Prologum in Editis T. cit. col. 431. terminant, continuat Codex: Nam quod dicunt homines inuidi &c. Atqui haec, et quae sequuntur, partem alteram Prologi in L. II. *Micheae* Edit. col. 479. conficiunt.*

Non

Non igitur in Codice Liber II. Prologum habet; Liber I. autem multo brevior non nisi ab expositione Capitis IV. *Et erit in novissimo dierum &c.* Edit. col. 473. incipit, cui haec praemittuntur: *Non ab initio primi libri expositionem scripsimus. Sed ab eo loco ubi de ecclesia uel proprie de persona domini saluatoris propheta locutus est. De primo libro.* Quae, ni fallor, Librarii arbitrio suo usi verba sunt.

V. fol. 120. Incipit prologus Sancti Jeronimi presbiteri in Naum Prophetam. Ita: *Juxta LXX. interpretes &c.* ut Edit. col. 533. Rite omnia.

VI. fol. 138. Incipit prologus Sancti Jeronimi p. In Sophoniam prophetam. Ita: *Antequam Sophoniam aggrediar &c.* ut Edit. col. 571. Finit Explanatio: *et confusio eius nobis proficiat ad salutem.* Itaque non habemus Clausulam illam in Edit. col. 734. *Hac juxta Septuaginta. Hebraicum enim &c.*

VII. fol. 144. p. 2. Incipit exp. eiusdem in aggeum prophetam. Initium Prologi: *Secundo anno darij &c.* ut Edit. col. 735. Recte omnia, nisi quod Prologus ab Expositione non discriminetur.

VIII. fol. 150. Incipit explanatio Sancti Jeronimi presbiteri In abacuc prophetam. *Ad cromatium episcopum.* Nempe: *Primum mi Cromati episcoporum doctissime &c.* Libri II. Praefatiuncula cohaeret cum ipsa Explanacione. Extat T. cit. col. 587. Atque hic Hieronymiana finem habent, quibus si Codicem sequentem jungas, nihil

Commentariorum S. Patris in XII. *Prophetas minores.* deest. Textus hic ut plurimum satis castigatus, Graeca vero, ut solent, admodum corrupta.

IX. fol. 177. p. 2. Oratio abacuc pro ignorantia. Orationem hanc, five Caput III. hujus Prophetae bis ab Hieronymo expositum fuisse, nemo docet. Cujus igitur fit sequens Expositio? Incipit illa: *In hoc cantico loquitur propheta de incarnatione filij dei & passione & resurrectione atque ascensione eius in celis dicens. Domine audiui. Supra locutus fuerat propheta temere contra dominum. Cur permetteret sanctos affligi diuites pollere dicens. Quare non respicis super inique agentes. et taces impio deuorante se iustiozem. Et ideo quia ita temere locutus fuerat iudicia domini reprehendens. pro ignorantia sua cantauit hoc canticum domino. et dixit. domine audiui. Auditio filij fuit quam propheta audiuit. non aure corporis sed mentis &c.* Extrema concisae hujus Expositionis sunt: *filio suo scilicet qui triumphauit de diabolo. Nec Haimonis, nec Remigii Autissiod. nec Walafridi Strabi sunt haec, quamvis horum quaedam apud istos verbotenus reperiantur.*

X. fol. 179. p. 2. Praefatio bede presbiteri in librum Regum. Puta in IV. *Libros Regum;* ex omnibus enim *Notbelmus* illi difficultates proposuerat, quas XXX. Quaestionibus in praesens expedit. Init Praefatio: *Dilectissimo fratri Notbelmo beda salutem. Que de libro regum*

regum delucidanda mihi — misisti &c. Sequitur Capitulare XXX. Quaestionum, cui tamen deinceps non adhaeret Textus, sed ad XXXII. nullo tamen augmento progreditur. Ejus initium: Quod ait propheta (ad Heli) loquens ex persona dei. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem &c. ut Opp. omni. edit. Colon. 1688. T. IV. col. 333. f. quae Editio, ut quaedam legat melius, in aliis tamen e Codice perfici potest, qui v. g. in Praef. rectius habet: uel habite non intelligantur, quam vel habere non intelligantur, et Quaest. I. rectius: mediator dei et hominum, quam mediator Dei et Dominum; item paternorum sit in omnibus conscius arcanorum, quam patris in omnibus conscius arcanorum; item in domo pereunte sacerdotis belli, necesse est ut veniens ad ecclesiam offerat, quam Pereunte sacerdotio Heli necesse est, ad Ecclesiam offerat &c.

U. 101 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 84. 4. per duas columnas luculente exaratus, rubro distinctus et quondam cum tot aliis ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* adolescentis Cleri studiosissimo additus suo ad *D. Nicolaum* Seminario continet *D. Hieronymi* *Explanationem in Daniele* Prophetam.

*Fida mente. loci rupertus semper honori
Intendens. sumptus libri large dedit huius.
Tempore prepositi scriptus liber iste richardi
Ex quo prelatus undenus uoluitur annus.*

Praefatio ad *Pammachium* et *Marcellam* incipit: *Contra Daniele* prophetam duodecimum librum scribit *porphirius* &c. Id singulare, quod post verba: *in titulo eiusdem belis fabule ponitur*, Librarius noster hanc Notam innotatam interfert: *Incipit expositio sancti Hieronymi presbiteri super danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit, ut eo facilius secreta illius legentibus panderentur quo commentico (ita) sermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorsus est, et deinceps Praefationem continuat, deceptus, ut videtur, a verbis sequentibus: Homo quidam erat sacerdos nomine danibel, quae sacri textus initium esse rebatur. Ceterum omnia integra sunt, ut docet collatio cum edit. *Vallar.* T. V. col. 617. textusque satis emendatus. Ad oram superam fol. 44. legitur: *Iste liber est monasterij Sancte dorothee* (quondam Canon. Reg.) *Wienne*; unde ad *Fabrum* devolutus fuerit. Quo sensu nae vel hodie Libri saepe Volumina sunt!*

CCCII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 12 XIII. Folior. nunc 240. f. per duas columnas caractere luculento, atro exaratus, rubricisque pernotatus natales suos his ad calcem versibus prodit:

Quid